



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XCVI. Iacobvs. LXX. Arch. XXV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

rursus diræ & iræ, præsertim cùm ærarium exhaustum clamitent, qui fortè exhauferant. Tot inter fyrtes & charybdes medius Rabanus, Joannem Episcopum Leodiensem in Adjutorem sibi delegit, telonium & vectigal urbis Marcetumque Sirckii quondam æmuli partibus pro crediti pignore cessit, Episcopatum suum servata in sustentationem auri summa non magna dimisit, æs alienum jam priùs contractum debitis novis augere coactus, morti & Pontifici obedientiæ victima cecidit, inter mortales parùm gloriosus, inter immortales, ut pars minor, at melior dicebat, immortalis gloria dignissimus. Mort. an. 1439. Sed. 9.

XCVI. IACOBVS. LXX. ARCH.
XXV. ELECTOR.

Jacobus genere & cognomento Sirckius Udalrico æmulo meritis maior longè, ab Eugenio Pont. confirmatus, Clericos urbem tributorum copiâ ferè suppressam egressos, ad sexennii tributum pro levanda Reipublicæ necessitate pendendum induxit reduxitque, civibus ritè conciliatis. Legationem deinde ob experientiam maximam ad Fridericum Austriæ Archiducem, in Alberti II. Cæsaris defuncti locum non ita pridem evecum suscepit, comes Friderico factus, ad coronam Imperii eidem Aquisgrani imponendam, ibidem Archicancellarii Moguntini Electoris loco perfunctus munere; quam ob rem ab Imperatore Regalibus, ut vocant, ornatus, vectigal Hamersteinianum impetravit, cui etiam Poppardiense accessit. Ut verò ante alios populum Trevirensis sibi arctius devinciret, consules deligendi copiam eidem indulgit, tanto tempore, quanto ipse viveret. Laboravit inde, ut Carolum Gallorum Regem post devictos Anglos nemini non formidatum sibi benevolum redderet. Dum verò unam vitavit, alteram contra se tempestatem excitavit, cùm ipse, & unà Theodoricus Colonienſis Elector in causa Concilii Basileensis Eugenio IV. Pon-

Pontifici palam refragari non sunt veriti. At discussa tandem hac tempestate univērsæ Ecclesiæ maxima, Jacobus Jubilei ergo Romam profectus, dum rediit, Academiæ Coloniensium more & ritu formandæ animum applicuit. Ubi dein Nicolao V. Pont. & Friderico Imperatore annuentibus, supremam Metensis Ecclesiæ curam, pro levanda suæ diocesis inopia, in se suscepit, morbo correptus, apoplexiæ tandem succubuit an. 1456. Elector Dei Religionisque cultui impensè deditus. Sed. an. 17.

XCVII. IOANNES LXXI. ARCH.
XXVI. ELECTOR.

Joannes Marchio Badensis à dissidentium in electione Canonicorum parte dum postulatur, admittitur ab omnibus. In eodem virtus eximia, & dispensatio Romana ætatis defectum supplevere: Calistus nimirum III. Pallium, Fridericus verò consueta in Imperio Electoribus insignia Joanni concesserunt. Ita confirmatus & exornatus, ut Trevirensē Senatū populūque devotum sibi redderet, consulum legendorum potestatem eidem & ipse non negavit; unde velut in triumpho 2500. equitum Treviros adveniēti sacramentum cives dixerunt, institutis epulis lautissimis, & adornatis ludis equestribus. Academiæ deinde penitus absolvendæ, & Doctoribus instruendæ strenuam navavit operam: anno namque Archiepiscopatus 16. Salutis 1472. Actus, ut vocamus, Universitatis publicus omnium primus est celebratus, quo Archiepiscopus Trevirensis Cancellarius Academiæ perpetuus, Conservatores verò Præpositus ædis summæ, Abbas S. Mathie & Prior Carthusiæ, ac demum Rector Nicolaus Raemdonckius renuntiatus est. Jus protectionis civitati duobus aureorum millibus Joannes Elector transcripsit. Hæc Masenius. An. 1473. Fridericum Imperatorem cum Maximiliano filio, & Carolū Burgundorum Ducem cum plurium Ducum ac Principum numero excepit, ubi actum de conjugio Maximilianum inter & Mariam Caroli Ducis filiam ineundo. Legatus ea in re Gandavum missus, ac inde Treviros reversus, gra-